

probat & amplectitur, & impios cultus exercet, & veram doctrinam blasphemat & persequitur: ab eius communione discedendum est, ne communicemus peccatis alienis.

48. Quando verò salva doctrinae puritate mali, quorum vita improba est, mixti sunt bonis in Ecclesia, ibi differentia est. Nam si improbitas hypocrisi tecta latet, tum valet regula: De occultis non judicat Ecclesia. Quando autem improbitas manifesta est, tunc jubet Paulus manifestis sceleribus pollutos excommunicare & segregare.

49. Rectè igitur Augustinus: Communio malorum, inquit, non maculat aliquem participatione Sacramentorum, sed consensione factorum.

50. Et iterum: Quibus mali displicent, & eos emendare non possunt, non factis eorum, sed altari Christi communicant.

DISPUTATIO XXI.
DE SACRAMENTIS IN GENERE.
THESIS I.

AD substantiam Sacramenti in N. Testamento duo requiruntur. 1. expressum & universale mandatum Dei, de externo symbolo sive Elemento, ac præscripto ritu usurpando. 2. promissio Evangelii huic ritui in verbo ita addita, ut per illa offeratur, exhibeatur